

Dissertationes in hoc volumine contentae.

1. Positiones quaedam Juridico-Politicae dubias quas praesentavit Henrico Grosse, J. V. D. publico venientiam commissis Jacobo Clemens. Vratislaviae. Siles. Wittebergae.
2. Conclusiones aliquotae propositae a Daniele Kahl J. C., et defensas a Gottholdo Martini Jorg. Heidelbergae.
3. Positiones et inculpatae tutelae, quas disputandas proposuit Leopoldus Haselmann. J. V. D. Resp. Bernhardus ab Arnim. Eq. March. Lipsiae.
4. Dissput. et Factis, quam praesentavit D. Wilhelmus Schmueck et defendit Wilhelmus Müller. Hamburgi Lipsiae.
5. Dissput. ad l. Transigere. 18. C. et Transactionibus, quam Conradus Casp. Eovig J. V. D. Resp. Christiano Casp. Eovig Collic. Misn. Wittebergae.
6. Positiones ex eadem l. 18, quas placida collatae Lubicis Franciscus Romang. J. V. D. Resp. Christiano Brandenstein. Lipsiae.
7. Assertiones de Servitutibus realibus, quas examinandas proposuit Friedrichus Georgij. J. V. D. Resp. Philippo Lockmann. Jov. nensi. Lipsiae.
8. Dissput. et dolo, quam praesentavit Valentinus Thiemero. J. C., publico examini subiecit Augustus Kölyer. Hannover. J. C.
9. Dissput. et Probationibus, quam praesentavit Conrado Casp. Eovig J. V. D. publico examini exhibuit Henricus Schabbeck. Wismar. Me., Gapol. Wittebergae.
10. Dissput. et Fidei Testamento, quam praesentavit Orosolpho Formanno. J. C. mis Johannes Christophorus Aremann. J. C. J. C.

S I G I S M U N D U S F I N C K E L T H A U S

P H I L O S O P H I Æ E T I . U . D .

Sequentes Conclusiones

D E T U T E L I S

Ordinarie ac publice disputandas proponit

Respondente

J O N A M Ö S T E L I O L I P S I E N .



I. Tutela est vis ac potestas, in capite libero, ad tuendum eum, qui per aetatem se defendere nequit, Jure Civili data, ac permilla.

I I.

Vim (non Jus) ac potestatem, alij conjunctim, alij se junctim explicant, Utrumque rationem habet, ac defendi potest; Priori enim modo pro synonymis, posteriori vim de personâ cogendâ & gubernandâ, potestatem de bonis administrandis accipimus.

I I I.

Caput liberum alij ad tutorem, alij ad pupillum, alij ad utrumque simul referunt. Placet per illud Pupillum intelligi.

I V.

Estque tutela triplex: Testamentaria, Legitima, & Dativa, Jure Saxonico est & Judiciaria: Solet enim tutor judicarius mulieri ad judicia, & alias solennitates dari.

V.

TESTAMENTARIA tutela est, quâ liberis impuberibus, in potestate constitutis, tutor à patre in testamento datur. Et qui ita liberis dat, nepotibus quoque & neptibus tutorem dedisse censetur: Qui autem filiis dat, filiabus quidem & posthumis, non etiam nepotibus tutorem dedisse videtur. Qui posthumis, tam filiis posthumis, quam cæteris liberis dedisse præsumitur.

V I.

Ex hæredato igitur filio tutor dari potest, & quidem sine confirmatione. Emancipato autem non datur, datus tamen à Magistratu, sine inquisitione confirmatur, confirmatum, dativum esse, non testamentarium dicimus.

V I I.

Atque hinc Mater filiis in testamento tutorem dare non potest, nisi eos hæredes instituerit. Tum verò Judex ita datum cum inquisitione confirmare debet.

I I X.

LEGITIMA tutela est, quam Lex pupilli successoribus proximis, sublato jure civili discrimine inter agnatos & cognatos desert. Jus Saxonicum præfert agnatos cognatis, & si plures sint in eodè gradu, ad seniores munus tutelæ pertinet, si verò proximior agnatus est, agnato sequenti desertur tutela, qui administrat, donec is fiat major.

I X.

Huc referenda est tutela, quæ Matri & Avæ conceditur. Hæc cuivis legitimo, si volunt, præferuntur, modò Sen.-Conf. Vellejano, secundis nuptijs omnique alio legitimo auxilio specialiter, non quidem mediante Juramento, sed tantum apud acta renuncient: Quod etiam Jure Saxonico & Feudali obtinere censemus.

X.

Sed si mulier nuptura alteri, tutelam deponat, postea verò propositum mutet, nec nubat, ista recuperare potest tutelam: Si nubat, & secundæ nuptiæ morte alterius mariti dissolvantur, eam reassumere non potest. Non idem dicendum est de Patre, is enim ad secunda vota transiens, tutelam emancipati filij non privatur.

X I.

Neque potest maritus uxori hanc tutelam per testamentum adimere, nisi alium tutorem in eodem testamento simul designet.

X I I.

Ad tutelam legitimam etiam pertinet, quòd proximus agnatus ex aureâ Bullæ Caroli IV. tutor & administrator esse jubetur hæredis Electoris. Unde quæstio exorta: An per testamentum agnato hæc administratio Electoratus auferri possit? Negabimus.

X I I I.

DATIVA tutela est, quam Magistratus vel alijs potentibus, vel per se constituit. Non tamen Jurisdictionis est, nec Imperij tutelæ datio, sed Legis, vel similis Jurisdictionis. De Germaniæ consuetudine in Comitij Imperij approbatâ jure Magistratus competit.

X I V.

Si verò pupillus plures habet Magistratus, alium domicilij, alium rerum & facultatum, ad illum, non ad hunc potestas dandi tutorem spectabit. Et si tutor simpliciter datus sit, omnibus bonis etiam in diversis territorijs sitis datus censeretur.

X V.

Porò deferri potest tutela omnibus, nisi jure prohibeantur, ut sunt, prodigus, mutus, surdus, cæcus, miles, clericus, debitor pupilli, vel creditor, turpis persona, maritus, Secus jure Saxonico: Sed nec Judæi Christianis tutores constituendi.

X V I.

Filius familias: & Vitricus privigno dari non prohibetur, Servus proprius sine libertate tutor datus, libertatè directam, Alienus, cum liber erit datus, fideicommissariam consequitur. Transfuga tutor non manet.

X V I I.

Minor 25. annis, & Furiosus à Magistratu tutores non rectè dantur, at benè à testatore; sed eâ conditione, ut si ille sanæ mentis, hic major factus fuerit. In locum autem furiosorum vel minorum interea non curator, sed tutor substituendus est.

X I I X.

Officium tutoris ante tutelam susceptam consistit in satisfactione, quæ hodiè ex Constitutione Caroli V. nec testamentarijs, nec cum inquisitione datis, amplius remittitur, eaque idonea per fideijussores, juramento insuper munita: Et in confectione inventarij, in quo rerum pupillarum omnium consignatio specifica requiritur. Nisi ea à testatore sit prohibita, aut remissa, vel alia ex justâ causâ fuerit omissa.

X I X.

Post tutelam susceptam tutor administrare incipit, in primis personam pupilli rectè gubernando, & res seu bona ejus benè administrando, auctoritatèque pupillo in ipso negotio non antè nec post interponendo, Unde rati habitio non sufficit.

X X.

Auctoritate hac tutoris interveniente pupillus contrahendo obligatur: Sine illâ ne naturaliter quidem, nisi dolose in re versatus, vel locupletior factus fuerit, Et tum demum naturaliter obligari pupillum defendemus,

X X I.

Non etiam civiliter.

X X I I.

Rerum autem, quæ servari possunt, pupillarum, & im-

mobiliu alienatio, item transactio, & pignoris constitutio, sine decreto Judicis & causæ cognitione fieri nequit. Nec tutor in rem propriam auctor potest esse, licet sibi ipsi rectè solvat.

X X I I I.

Finitur tutela varijs modis; Ex pupilli personâ, pubertate, hoc est, in fœminis 12. in masculis 14. anno, morte, arrogatione; Ex personâ tutoris, capitis deminutione, eventu temporis ac conditionis, & remotione, si sit suspectus. Ob dolum autem remotus, infamis efficitur, ob culpam non æquè, sed quam? Levem.

X X I V.

Elegans hic occurrit quæstio: An tutor, qui eo tempore, quo ad tutelam accessit, pauper fuit, & finitâ administratione dives reperitur, id ex pecuniâ pupilli acquisivisse præsumatur, & proinde tanquam suspectus postulari possit? Cum negantibus faciemus.

X X V.

Sed & excusatio tutorum, tam legitimorum, quam reliquorum removet tutelam. Justæ autem inter alias causæ sunt, polypædia, absentia. Reipublicæ causâ, quam & ad municipia extendimus, tria onera tutelæ, inscitâ literarum cum negotiorum imperitiâ conjuncta, atas annis 70. major, professio liberalium artium & Medicinæ, Legum verò Doctores remissionem non habent.

X X V I.

In hac controversia: An à tutelæ datione appellare liceat, communem Doctorum opinionem amplectemur, non à tutelæ datione sed ab excusationis rejectione appellare permissum esse.

X X V I I.

Actiones duæ dantur, directa una, contraria altera. Directa datur pupillo contra tutorem finitâ tutelâ, ut gestorum & omissorum rationem reddat: Jure Canonico & Saxonico tutores singulis annis rationem reddere tenentur, quod confirmavit constitutio Imperij & Electoris, nullâ factâ differentiâ inter tutores legitimos, testamentarios & dativos.

X X I X.

Tenetur autem tutor hæc actione de dolo latâ & levi culpâ etiam ob non exacta nomina paterna, si illa susceptæ tutelæ tempore idonea reperta fuerint.

X X I X.

Salarium hæc actione tutor pro operâ administrationis ex bonis pupilli petere non potest, nisi ab illo, qui cum dat, certum constitutum sit.

X X X.

Contraria datur tutori, quâ pupillus tenetur in id, quod tutor de suo in rem pupilli impendit, vel rem suam aut seipsum pro pupillo obligavit.

C O R O L L A R I A.

1. Minor sine Curatoris consensu non obligatur.
2. Minores invito Curatores non accipiunt, præterquam in litis.
3. In Curatorem non datur utilis negotiorum gestorum, sed propria cura directæ actio.

Ad diem XIII. Junij. horâ 7. in publico Jureconsultorum auditorio. An. 1611.

L I P S I Æ, Valentin Am Ende excudebat.

SIGISMUNDUS ELECTOR THURINGIAE

DE TITELIS

JOHANNES BAPTISTA



22



202

SIGISMUND

1

Licet in vna potestas, in vno libere
ad eundem finem ordinata delecta
debeant esse, sicut Civitas, ac potestas.

I

Vim non habet potestas nisi
iustitia, alij tunc non capiunt, sed
potestas debet esse; Potestas enim non potest
potestatem vna de personis cogere & gubernare potest
si item de bonis administrandis accipiat.

II

Caput liberum aliud imperium, alij ad nullum aliud
imperium: sicut imperium, sicut imperium potestatem

IV



153709


AB: 153709

X2615956

Retro ✓



VD17





15





Æ
S AUERBACH.

